



**R. P. Ferdinandi De Castro Palao, Legionensis Soc. Iesv,
Sacrae Theologiae Professoris, Et sanctae Inquisitionis
Qualificatoris & Consultoris; Operis Moralis, De Virtutibus,
Et Vitiis Contrariis, In ...**

De Censuris, In Qua Sex Disputationibus De Poenis Ecclesiasticis, deque
Irregularitate fusè tractatur, cum Indicibus necessariis

Castro Palao, Fernando de

Lugduni, 1669

4. De obligatione seruandi cessationem & poena transgressoribus
imposita.
-

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76667](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76667)

evidenter constet partem illam esse in mora culpabili, quia dum id non constat, retineri ius suum. Quod nullo modo habet locum in eo ob cuius culpam cessatio imposita est: nam esto hic non mittat Romam, non eo ipso auferatur cessatio, alioquin ex sua iniquitate commodum reportaret, in cuiusque potestate situm esset cessationem eludere. Sicuti notavit Sayrus dicto lib. 5. cap. 18. num. 17. Suar. d. sect. 3. num. 14. Bonac. disp. 6. p. 3. num. 11. quia ex nullo Textu colligitur hæc abrogatio; nam Caput quammis solum dicit partem non seruare conditiones sibi præscriptas in imponenda cessatione non esse cessationem seruandam; at nihil dicit de imponente valide cessationem, illam vero postea non obseruante, sicuti neque tollitur excommunicatio, aut suspensio, vel interdictum ex eo quod has censuras imponent illas non obseruet.

Præter prædictas alie sunt conditiones seruande pro cessatione imposita à Capitulo, scilicet vt ad hanc cessationem imponendam conuocentur omnes qui conuocandi essent pro electione quauis facienda, qui que inter se debent conferre, an expedit cessationem imponi, & consultari facta suffragia ferantur, & ex maiori parte suffragiorum cessatio determinatur; alia sicut de electio sine hac conuocatione, consultatione, & determinatione est nulla. Cap. eorum delicto. Cap. quia propter de electione. Sic cessatio quæ electioni comparatur in dicto cap. quammis de officio ordinarij lib. 6. nulla erit: sicuti notavit Sayrus lib. 5. thesauri, cap. 18. num. 14.

Dubium tamen est, an debeat Capitulum Sede vacante has conditiones in ferenda cessatione obseruare? Affirmat Auila 6. p. disp. 2. dub. 2. §. circa has conditiones. Dicitur, quia Textus in cap. quammis de officio ordinarij. in 6. hæc præscribit conditiones obseruandas à Capitulo, seu conuentu, qui ex maiore parte canonicorum, seu conuenualium coalescit. Sed hoc verum est casu quo Capitulum, seu Conuentus per se cessationem indiceret: at quia Capitulum Sede vacante non per se, sed per vicarium electum iurisdictionem exerceat, iuxta Conc. Trident. sess. 24. cap. 16. de reformat. ea de causa ad imponendam cessationem non indiget Canonicorum conuocatione, & aliis in dicto cap. quammis præscriptis. Sicuti notauit Suar. disp. 19. sect. 3. num. 10.

Capitulum cessationem indicens prædictis conditionibus non seruatis, nequit prouentus, & distributiones, quæ interuentibus diuinis officiis conceduntur, recipere; quia absque causa ab illis officiis abstinere, ideoque omnes prouentus, & emolumenta eo tempore percepta restituere tenetur, & insuper parti contra quam cessauerit, obligatur damna reparare. Quod intelligendum est, etiam si causa legitima adit imponendi cessationem. Nam dictus Textus in cap. si canonici vtrumque requirit & causam cessationis legitimam esse, & conditiones in cessatione imponenda ibidem præscriptas obseruari, vt constat manifestè ex illis verbis: Si hoc prætermissis cessauerint, vel causa non fuerit canonica. Sicuti notauit Auila 6. p. de censur. disp. 2. dub. 3. Henric. cap. 52. numero 3. Sayrus plures referens, lib. 5. thesauri, cap. 19. numero 17. Suar. disp. 39. sect. 3. num. 15. vbi bene aduertit hanc obligationem maiori ex parte ex ipsa rei natura ante iudicij sententiam procedere, quia si nulla est cessatio vel ob defectum causæ, vel conditionum obseruandarum irrationabiliter cessant Canonici à diuinis officiis, inuisitque recipiunt distributiones, & alia commoda Ecclesiæ, ob eius obsequium debita, inuisitumque parti aduersus quam cessatur irrogant, damnaque illi facta reparare debent.

Quod dictum est de cessatione nulliter imposita à Capitulo, idem est dicendum de cessatione imposita ab Episcopo, aliove Prælato, si absque causa legitima, vel non seruatis conditionibus, quas obseruare tenetur cessationem interdixerit; debet inquam tunc restituere Canonici ea, quæ ob cessationem impositam amittunt, & aliis clericis stipendia quæ ex Missis, aliisque officiis diuinis acquirunt, & damna quæ pars aduersus quam cessatur sustinet. Sicuti aliis relatis tradunt Sayr. Henric. Suar. Auila supra.

Verum si cessatio iusta sit tenetur qui causam dedit, omnia damna innocentibus personis prouenientia reparare, & arbitrio superioris condemnandus in aliqua quantitate conuertenda in augmentum diuini cultus. Sicuti hæc colliguntur ex dicto cap. quammis. & cap. si canonici de officio ordinarij. in 6. Et notantur aliis relatis Henric. lib. 13. cap. 12. num. 3. Sayrus lib. 5. thesauri, cap. 19. num. 19. Suarez disp. 39. sect. 3. num. 16. Coninch. disp. 17. dub. 7. num. 91. Auila 6. p. disp. 2. dub. 3. conc. 3. Bonac. t. 1. de censur. disp. 6. p. 3. circa finem.

§. IV.

De obligatione seruandi cessationem, & pœna transgressoribus imposita.

- 1. Grave peccatum est violare cessationem.
2. Religiosi obligati sunt cessationem à Capitulo, seu Prælato obseruare.

Ferd. de Castro. Sum. Mor. Pars VI.

- 3. Clerici, & religiosi tam exempti, quam non exempti incurramus excommunicationem violantes cessationem.
4. Pœna irregularitatis clericis violantibus cessationem imposita non est.

Nemini est dubium graue peccatum commissurum qui cessationem celebratione diuinorum officiorum administratione, vel receptione Sacramentorum violaret, quia violat legem Ecclesiasticam ob grauissimam causam impositam.

Solum est dubium? An Religiosi exempti obligentur seruare, & publicare in suis conuentibus cessationem impositam à Capitulo, seu Prælato, & obseruatam ab Ecclesia matrice? Negat Alterius de interdico, disp. 2. cap. 8. col. 4. quia Concil. Trident. sess. 25. cap. 12. de Regularib. solum præcepit obseruari censuras, & interdicta, at cessatio à diuinis neque est censura, neque interdictum etiam pœnale. Ergo in prædicto decreto non continetur.

Nihilominus contrarium dicendum est. Concilij enim decretum expeditum fuit in confirmationem Clement. 1. de sentent. excommunicat. vbi tam regulares exempti, quam non exempti obligantur interdicta, & cessationes à diuinis obseruata ab Ecclesia matrice obseruare. Et licet textus in principio solius interdicti mentionem fecerit, ex subsequentibus colligitur sub interdicti nomine voluisse cessationem à diuinis comprehendere, vt colligitur ex illis verbis, Quod etiam in interdictis, & cessationibus etc. quæ indicant antea de interdictis, & cessationibus sermonem factum esse. Præterea in cessatione magis videntur rationes obligantes, vt religiosorum conuentus cum Ecclesia matrice confirmantur. Atque ita tradit Bonac. t. 1. disp. 6. pun. 3. num. 10.

Quoad pœnas attingit, nulla est laicis violentibus cessationem ipso iure imposita, sed arbitrio iudicis puniri debent. Clericis verò Religiosis tam exemptis imposita est excommunicatio ipso facto in Clem. de sentent. excommunicat. vt loquentes de interdicto diximus. Debet tamen cessatio esse generalis, & obseruari ab Ecclesia matrice, nam ex violatione cessationis specialis, nulla pœna ipso iure contrahitur, quia nullibi habetur, nec de prædicta cessatione loquitur præfata Clement. Et quammis Paludan. in 4. d. 18. q. 8. num. 38. asserat hanc pœnam excommunicationis habere locum in cessatione tantum imposita à Capitulo, Collegio, seu Conuentu, Concilioque provinciali, non autem in cessatione ab Ordinariis imposita, nullo modo ei adherendum est, sed omnino affirmandum illam pœnam excommunicationis communem esse omni cessationi generali, siue imposita sit à Capitulo, Collegio, seu Conuentu, siue à Concilio provinciali, siue ab Ordinatio, siue à Delegato Pontificis, vt ex dicta Clement. constat in vers. quod etiam. & notauit Couarrua. cap. alma. 2. p. §. 2. num. 3. Henric. lib. 13. cap. 54. num. 3. Nauarr. cap. 27. num. 145. & 189. Sotus d. 22. q. 3. art. 2. Sayrus aliis relatis, lib. 5. cap. 19. in fine. Suar. disp. 39. sect. 3. num. 36. Auila 6. p. disp. 3. dub. 2. conclus. 2. Bonac. disp. 6. punct. 3. num. 9. Notant tamen Henric. & Auila supra. Sayrus lib. 5. cap. 18. num. 11. religiosos Mendicantes ab hac pœna eximi ex particulari privilegio, quod mihi non constat.

Pœnam irregularitatis, quam aliqui Doctores adseribunt violentibus cessationem per exercitium ordinis, verius est non contrahi, quia nullibi est expressa, & irregularitas non contrahitur nisi in casibus à iure expressis. Cap. is cui de sentent. excommunicat. in 8. Et licet in dicta Clement. 1. cessatio æquiparetur interdicto, id est solum quoad pœnam excommunicationis impositam Religiosis interdictum, & cessationem generalem non obseruantibus, non tamen quoad reliqua omnia. Sicuti docet Glossa in cap. si canonici, verbo cessare de officio ordinarij. lib. 6. Panormit. cap. dilectis filiis. num. 18. de appellacionib. Paludan. d. 18. q. 8. art. 3. num. 38. Nauarr. cap. 27. n. 189. Suar. disp. 39. sect. 1. d. num. 8. Auila 6. p. disp. 3. dub. 2. conc. 4. Henric. lib. 13. cap. 54. num. 3. Sayr. lib. 5. cap. 18. num. 9. & alij plures apud ipsos.

§. V.

De relaxatione cessationis.

- 1. Quis possit cessationem relaxare, & qua forma seruanda sit.
2. Bene potest per appellacionem suspendi cessatio, si executioni mandata non sit.

Cerrum est imponentem cessationem posse illam relaxare, neque alium nisi superior sit, vel æqualis, vel ab imponente potestatem acceperit. Forma verò relaxandi cessationem nulla est in iure determinata, sed illa sufficet quæ voluntatem relaxantis exprimat, vt notant ex communi sententia Henric. lib. 13. cap. 52. num. 3. Sayrus lib. 5. cap. 18. numero 7. Filliuc. tract. 18. num. 138. Bonac. t. 1. disp. 6. de cessat. p. 3. in fine.

R. Dubium